



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia  
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive  
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

**Wamesius, Johannes**

**[S.l.], 1643**

De Præbendis. Consilium CCLXXXIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

suæ dignitatis; propter privilegiatam conditionem pensionum Ecclesiasticarum, etiam si illæ alioqui per se & ex suo genere magis sint odiosæ quam favorabiles, *Gigas de pension. q. 96.* propter præcisâ & arctius constringentia verba Bullæ reservationis illarum.

## De Præbendis.

## S V M M A R I V M.

Pensio Ecclesiastica extinguitur per matrimonium.

1. Pensio Ecclesiastica potest etiam laico assignari.
2. Pensio Ecclesiastica amittitur per contractum matrimonij.
3. Pensio Ecclesiastica assignata clerico quando regulatur secundum beneficia Ecclesiastica.
4. Clericus de alimentis providendum.
5. Clericus contrahens matrimonium commoda clericaturæ amittit, excepto fori privilegio & iniectionis manuum violentarum.
6. Possessorium quando datur ob pensionem.
7. Causa beneficiæ possessorie ex titulo iustificanda.
8. Beneficij incapax possessionis quoque illius incapax est.

## CONSILIVM CCLXXXIV.

**E**X consensu Reverendi in Christo Patris Domini Gabrielis Barceque Abbatis Monasterij S. Salvatoris Einhamensis, cæterorumque ejusdem Monasterij seu Abbatie Conventualium, dictæ Abbatie per obitum Domini Antonij Biege vacante, præfato D. Gabrieli ex nominatione Serenissimi Philippi Regis Hispaniarum &c. Comitum Flandriæ, provilum extitit; & requirente eodem Philippo Rege, alias in anno 1561 per nudam signaturam Apostolicam fuit Petro & Philippo Baerdsorp clericis Tornacensis diocesis, filijs naturalibus & legitimis quondam M. Cornelij Baerdsorp Medici inclytæ memoriæ Caroli Quinti Rom. Imp. ob merita ejusdem Cornelij, ex obsequijs ipsius dicto Carolo Imp. impensis, reservata annua pensio quinquaginta librarum Flandriæ, singulis videlicet centum quinquaginta florenorum annuorum, quoad vixerint, super bonis, fructibus, & emolumentis dicti Monasterij ac mensæ Abbatialis: quarum quidem pensionum annuam solutionem dicti Abbas & Conventus, per præcedentem eorum cum dictis Petro & Philippo initum contractum sub forma Cameralis obligationis, literis etiam non expeditis, & visâ solâ signaturâ Apostolicâ hujusmodi reservatarum singularum pensionum, singulis annis, quamdiu in humanis vixerint, facere promiserunt; prout etiam solverunt usque ad annum septuagesimum primum inclusive; sed ex eo tempore amplius dicto Philippo alteri prædictorum pensionariorum solvere recusant; ex hac causa, quod matrimonium contraxerit, & sic pensionis incapax factus sit. Ob quam reculationem Philippus per literas manutentionis traxit dictos D. Abbatem & Conventum in jus coram Concilio Provinciali Flandriæ, petens in hujusmodi pensionis possessione seu quasi manuteneri. Queritur, an bono jure id faciat Philippus, & an iusta sit dictorum Abbatis, & Monasterij recusatio.

Conf. Wamel. Tom. I.

Et paucis respondetur, iustam esse hujusmodi reculationem; ob id, quod dictus Philippus à jure & possessione dictæ pensionis per contractum matrimonij exciderit. Nam etsi personalis annua pensio super Ecclesiastici beneficii fructibus quid temporale magis, quam spirituale sit, *c. Quamvis & ibi Gloss. De præb. lib. 6. Oldrad. conf. 168. Ad primam questionem, 10. Staphyl. in tract. de literis gratiæ tit. de forma expect. §. nova forma nu. 11. & à beneficio omnino separatum; possitque ex voluntate Papæ perinde laico, ut clerico assignari, Archid. in d. c. Quamvis vers. provideri, Hieron. Gigas de pension. q. 22.* \* cum tamen illa clerico assignatur, eodem loco est apud clericum, quo ab eodem obtentum beneficium; ad hoc, ut superveniente contractu matrimonij pensio perinde vacet, & extinguatur ut beneficium, *c. Diversis de cler. coniug.* Censetur quippe Pontifex respexisse ad qualitatem clericaturæ, dum illam in concessione expressit, uti hic in præfata nuda signatura expressa invenitur: præsertim cum adiecta quoque reperitur hæc reservatæ pensionis causa, *ut commodius sustentari valeat.* \* Eam etenim curam ad se facile vocat Pontifex, & alijs omnibus inferioribus regulariter mandat, ut clericis suis, non etiam laicis, de alimonijs provideant, *c. 2. De præben.* Cui causæ in proposito casu conjunctum quoque hæc altera adiecta est, *& ut literis operam navare valeat.* Etenim evidentiùs inde constat, in concessione hujusmodi reservationis respectum præcisè habitum esse ad qualitatem clericaturæ; sic quod ea expressio proculdubio fuerit inter alias causas impulsiva hujusmodi concessionis; quâ non factâ, verosimile non est Pontificem voluisse dictis Petro & Philippo reservare pensionem talem, si fuissent laici. Cum ergo per matrimonium dictus Philippus redactus sit ad laicorum conditionem; consequens est quod cessante causa concessionis, cessare debeat ipsa concessio, *c. Relinquitur & ibi vauor. De custodi. euchar.* \* Clericus enim convolans ad matrimonium, amittit omnia clericaturæ commoda: excepto solo fori privilegio, & iniectionis manuum violentarum, *c. 1. De cler. coniug. lib. 6.* Sic quod parum prodesse possit Philippo, quod per matrimonium clericaturam nō amisit, & Ecclesiæ adhuc utilis esse possit: nam juris potestas ad dictos duos casus restringitur; in alijs male concordat psalterium cum cithara, *d. c. Diversis.*

Nec quicquam in proposito immutat, quod in supplicatione sit adiecta mentio meritum ex obsequio patris: nam ea præcipua, aut substantialis causa non fuit, nec per se sterilis; sed potissima latuit in ipsa clericatura, ad quam Pontifex magis respexit: cum merita patris non contingant ipsum Abbatem, aut Conventum contententem. Quæ distinctio inter concessionem factam laico, & eam, quæ sit clerico, modo præmissa, evidentes juris in hoc articulo habet rationes: quas eleganter deducit, & comprobatur Hieron. Gigas, in tract. de pens. q. 54. & se ita per contractum sui matrimonij quasdam pensiones amisisse scribit. Cum ergo Philippus per contractum matrimonij exciderit ipso jure ab hac pensione, illiusque ex eo tempore factus sit incapax; consequitur, quod non rectè instituerit hoc iudicium possessorium.

† Nam etsi aliàs, ut super beneficio, ita quoque

Bbb 3

propter

Propter denegationem solutionis debite pensionis recte instituat iudicium possessionum sive retinenda sive recuperanda possessionis, c. *Querelam De elect.* non instituitur tamen recte ab eo, qui beneficii vel pensionis ipso iure est incapax; \* interdicta enim possessionis super beneficio, & quæ ad similitudinem beneficiorum habentur, semper habent annexam seu conjunctam causam proprietatis; hoc est, qui illa proponit, debet non tantum possessionem, verum etiam titulum suæ possessionis (qui respicit causam suæ proprietatis) iustificare, Gloss. ult. in Clem. 1. *De caus. possess. & propriet. Rebus. ad consit. Reg. tit. de caus. benef. possess. art. 1. Gloss. 1. in princ. Berengarius Fernand. in l. Naturaliter §. nihil. commune in 1. combinatione nu. 17. De acq. possess.* \* Et sic fit, ut resolutio titulo per incapacitatem possessoris, possessio quoque resolvatur; cum sine colorato saltem titulo huiusmodi iura Ecclesiastica non subsistant. Et quidem ipso iure; sic ut nulla superioris sententia vel declaratio requiratur, c. 1. & ibi Gloss. *De cler. conuig.* sed pro intruso habeatur is, qui sic per sententiam juris privatus, in possessione de facto persistit: ideoque de facto etiam sine vitio spoliij possessione expelli possit, multo magis in proposito per solam revocationem turbari, d. c. *De multa §. 1. de preb. & ibi doct. Gigas in tract. De intruso nu. 55. & seq.* Atque ita paucis concludimus dicti Philippi intentionem in hoc possessorio iudicio propter notoriam & ex propria ejus allegatione apparentem incapacitatem, tam possessionis, quam tituli nullo iure fundatam esse.

## Ne sede vacante &amp;c.

## S V M M A R I V M.

Prælatiura vacante ad quem pertineat administratio.

1. Prælatiura vacante patronus non administrat.
2. Prælatiura vacante Capitulum constituit economum.

## CONSILIVM CCLXXXV.

**C**OLLEGIATA Ecclesia Sancti Servatii Traiectensis Præpositum habet; cujus Præposituræ jus patronatus ex concessione Sedis Apostolicæ olim ad Imperatorem Romanum, & ex infeudatione oppidi Traiectensis per Imperatorem Duci Brabantie facta, nunc ad Ducem Brabantie pertinet: virtute cujus juris patronatus Dux Brabantie præsentationem, collationem dictæ Præposituræ habet; institutionem & admissionem ad Capitulum dictæ collegiatæ Ecclesiæ pertinente; ut hæc refert Oldradus notiter, conf. 312. *Thema questionis*, & plusquam notorium est. Queritur ad quem pertineat dictæ Præposituræ, cum vacat, custodia, fructuum perceptio, & administratio tam in spiritualibus quam temporalibus, an ad patronum, an ad Capitulum?

Cujus questionis resolutio difficultatem non habet. \* Aperto enim iure decusum est, in c. *cum vos De offic. ordin.* vacante Prælatiura ad patronum laicum nihil devolvi præter potestatem conferendi, seu præsentandi personam idoneam ad ipsam Prælatiuram: ita quod rebus Ecclesiæ, seu Prælatiuræ se intrinmiscere non debeat, non magis

in temporalibus quam in spiritualibus, Celsus Hugo, conf. 77. in fine; \* sed earum procuratio, administratio, ac gubernatio devolvatur ad Capitulum, cujus est Prælatiura, Gloss. in d. c. *Cum vos in v. economos & ibi Innoc. Hostiensis*, Ioan. Andr. *am. de Burro*, Zabarella, Ioan. de Imola, Hen. Boine Pant. *mir. & Bellamira*: ita ut etiam quæ jurisdictionis sunt ad Capitulum devolvantur, c. *unico De maior. & obed. lib. 6. c. Si Episcopus De supplen. negl. pralat. lib. 6. c. 13. cui De elect. lib. 6. gravi poenâ imminente Patrono laico contrarium facienti, c. Generali De elect. lib. 6. Et consequenter poterit prælatum Capitulum S. Servatii sine metu alicujus offensionis aut excessus vacanti Præposituræ suæ Ecclesiæ quamdiu vacat, providere, illi vicepræpositum seu economum constituendo, per quem temporalia ejusdem Præposituræ regantur & administrantur, d. c. *Cum vos in verb. ponatu economos*, Franc. Marcus *de off. Delph. 16. parte 2.* Receptorem seu Collectorem fructuum dando; officiis interea vel ex morte ipsius Præpositi vel ex alia causa vacantibus, per deputationem eorundem, vel aliorum providendo: potissimum quia licet dictæ Præposituræ collatio seu præsentatio ad Ducem Brabantie pertineat; illius tamen admissio & institutio pertineat ad ipsum Capitulum, ut ex usu notorio & Oldradi illo responso, d. conf. 312. constat. Quo casu decidit Ioannes Imolenis, in d. c. *cum vos nu. 8.* custodiam & administrationem pertinere ad Capitulum, & minime ad Patronum laicum. De quo etiam in proposito tanto minus hæsitandum, quod pro parte dicti Capituli proponatur Capitulum jam in immemoriali possessione ac consuetudine esse huiusmodi juris administrandi; & in anno 1539. vacante eadem Præpositurâ, eodem iure toto triennio usum fuisse: adeoque etiam fructus medij temporis suos fecisse dicatur: quæ consuetudo iuri non adversatur, c. *Præsent. De officio ordin. lib. 6. Oldradus conf. 194. Etiam tale est.**

## De rebus Ecclesiæ alienand. vel non

## S V M M A R I V M.

Alienatio rei Ecclesiasticæ prohibita.

1. Alienare non possunt exempti sine consensu Pape.
2. Solemnium præsumptio ex antiquitate quor. annos requirit.
3. Rescriptum vitiat falsa suggestio.
4. Restitutio in integrum coram delegato peti potest.
5. Ecclesia adversus alienationem in integrum restitui potest.

## CONSILIVM CCLXXXVI.

**P**LVRIV Doctissimorum virorum labor, & diligens pertractatio in causa, quæ nunc in appellationis iudicio coram Venerabili D. Officiali Leodiensi ex delegatione Apostolica acta, & prius semel per sententiam Dominorum Commissariorum Apostolicorum terminata est, inter D. Renerum vander Aa, & executores testamenti quondam Dom. Hoberti Rayn appellatos ex una; & Reverendos Dominos Decanum & Capitulum collegiatæ Ecclesiæ Beatissimæ Mariæ Regalis urbis Aquisgranensis appellantes ex altera partibus, faciunt, ut quod eorum